

DEDICATORIA

Navium usum verè Regium, Æquinoctialis, Me-  
ridianorum, Helices cum Cynosura cognitio suppe-  
ditat, paci, belloque subministrat opem, Regia igi-  
tur Astronomiæ consideratio, non nisi Rege vel Augu-  
sto digna, prout veterum quoque testificantur monu-  
menta. Aratus Antigono Gonatæ Poliorcetae filio,  
Phænomena sua inscripsit, cujus translationi, & C. Ju-  
lius Cæsar operam dedit. Germanicus Drusi Claudij fi-  
lius, carmen suum Astronomicum Augusto consecra-  
vit. Conatum itaque hunc qualem qualem meum,  
pro ingenij tenuitate, subcissivis studiorum momentis,  
olim auspdatum, nunc demum clarissimorum viro-  
rum admonitu, posteris publicatum cui dignè offeram,  
nec ambigendum non disquirendum arbitror; præ-  
stantissimorum namque hominum benevolentiam;  
tùm in se ipsis, tum in litterarum studijs expertos, sum-  
ma ope niti decet, ne beneficium silentio transeant.  
Extra vos igitur, patres litterarum & eruditionis pa-  
trones, in hac tanquam effœta mundi deficientis se-  
necta, perinde dignum ac idoneum nondum offendo;  
quibus enim cordi, & curæ, bonarum artium studia  
sunt: in ijs summa doctrinarum observantia, cum sum-  
ma prudentia suspiciatur, necesse est. Meæ insuper  
partes, idem exigunt, nisi mihi parum vel nihil mentis  
foret, acceptum ferre ijs, quorum sub administratione  
laudabili, teneriorem ætatem, mitioribus studijs excul-  
tam, alterum quasi vitam retineo. Jure quoque hæ-  
reditario, hoc quicquid est, Ampl. VV. deberi con-  
venit, nec modo Augustum, verùm etiam Augustana-  
num dicere non reformido, quòd Imper. Augusto, o-  
lim